

THE VIRGIL SOCIETY

Founded 12th January 1943

*Saevit Britannis armipotens deus,
flammasque diris Mulciber hostibus
mandavit ut nostras in urbes
ignivomum satient furorem.*

*finem laborum tangere non datur,
durare tantum duraque perpeti—
rebus sed adversis fovere
quae decorent meliora vitam.*

*doctos canamus quos reverentia
coniunxit olim vatis et invicem
nos, pacis heredes, colamus,
Mantua quem genuit, poetam.*

*nam quis scit aequae dicere, Vergili,
bellare quid sit, quis tenui modo
cantare pastorum, quis artes
tradere paciferas colonis?*

F. J. LELIÈVRE